



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Nona Conclusio. Quando plures torquendi, ab eo incipiendum, à quo verisimile est, veritatem facilius eruendam fore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

omnium iudiciorum rectè constitutorum. Cùm enim tortura res sit magni momenti, & possit esse maximi præiudicij, Iudex non debet carere hominibus fide dignis, qui testimonium perhibeant veritati in casu necessitatis, de rebus gestis. Quare aliquando valde suspecta est aliquorum tortura: Vbi quidam Iudices sunt valdè imperiti, qui soli, adiuncto aliquo scriba, vt audio, pro sua imperitia, aut voluntate, tantum homines torquent, vt non mirum sit, si sæpè fateantur, quæ nunquam cogitauerunt.

Nona Conclusio. Quando plures torquendi, ab eo incipiendum, à quo verisimile est, veritatem facilius eruendam fore.

BARTOL. in L. i. ff. de quæst. Gandin. in tractat. malefic. in Rubr. de quæst. & tormen. Marfil. in pract. crimin. §. Expedita. num. 49. Angel. ab Aretio in tract. malefic. in Glossa in verb. Fama publica præcedente. Damhauder. in rerum crimin. praxi, cap. 37. num. 14. & alij alibi. Vnde hanc Gandinus ponit regulam, Quando de pluribus habenda est tortura, sagax Iudex debet considerare, à quo facilius veritas erui potest, & ab illo debet quæstionem incipere tanquam à timidiore & magis suspecto, & debet incipere à viliori, & non à fortiori.

X x 2 r i v e l

ri vel digniori. Huius Conclusionis doctrina maximè seruanda est in hoc crimine maleficorum, vbi vt plurimum primi rei confessio præbet occasionem latiore inquirendi circa alios, & aperit quasi viam alijs indicijs: cum ferè semper accidat, quod malefici vnus loci societatem, & vnum conuentum inuicem habeant. Quando autem non est magis verisimile de vno quàm de altero, quod veritas facilius eruetur, tunc incipiendum à magis suspecto. arg. L. 1. in principio. ff. de quæstion. Bartol. ibidem, & Marsil. loc. cit. Is autem semper iudicatur magis suspectus de maleficio, qui pluribus, & vrgentioribus laborat indicijs & suspicionibus. Indicia enim & argumenta reddunt aliquem suspectum: & quo ea sunt grauiora & vehementiora, eò magis reddunt suspectum.

Decima Conclusio. *Iudicis arbitrio relinquatur, an tortura semel illata possit iterum repeti.*

BALD. in L. 2. C. Quod metus causa. Bartol. in L. Vnius. §. reus. ff. de quæstion. Marsil. in L. quæstionis modum. ff. eod. Salycet. in L. 2. C. de custod. reor. Menoch. lib. 2. de arbitrar. iudic. qq. casu 272. & alij alibi. Sed quia hæc Conclusio satis generalis, & Iudex suum iudicium latius extendere potest, quàm ratio patitur,